ſi memet tanto huic periculo objicerem ? *P. Segneri in medit.*

Dei Filius nihil nobis vehementius commendat vigilantia. Tota Chriſtiani vita eſſe debet jugis expectatio glorioſi Salvatoris adventus. Non aperit, quando venturus ſit, ut ſemper attendatur, & omnes qualibet hora parati ſint. Veniet pro omnibus hominibus generatim extremi judicii die; pro ſingulis veniet die mortis ſingulorum. Qui in mortis hora, eo in ſtatu invenietur in quo eſſe debet, ingredietur in regnum Dei, non ſecus ac Virgines prudentes in aulam nuptialem. Ille, quem mors deprehenderit, neque erit tunc eo in ſtatu, in quo Deum illum eſſe vult, non ſecus ac fatuæ Vigines, aditu prohibebitur. Quicumque prohiberi non vult ſubimet invigilare debet. Hoc Dei Filius nos in Evangelio. Itaque omnis homo jugiter vigilare bebet, & præſto eſſe cum lampade accenſa, videlicet cum viva fide, nec ſatis, ſed etiam cum extrema vigilantia, quæ cuſtos eſt fidei. In Baptiſmate illi, qui hoc Sacramentali lavacro ablutus fuit, præbetur cereus accenſus, quod ſignum eſt ſignificans fidem, & irreprehenſibilem vitam ab eo ducendam, ut eam ſervet, & jugem vigilantiam, quæ huic vitæ neceſſaria eſt. In morte quoque in morientis manu cereus ponitur, ad revocandam hanc eamdem fidem, & vigilantiam, quam præſtare debuit ad eam tuendam ob occurrendum Dei Filio, ut dignus habeatur aditu regni celeſtis, quod ab ipſo ſæculorum exordio Electis ſuis comparavit. *Auctores recentes.*

Oculos conjiciamus in Fideles, qui ſalutis ſuæ negotio operam navant, & in ſancta peccati formidine vivunt. Sciunt homines iſti animam noſtram eſſe velut agrum, ubi naturalis conceptio non niſi malas plantas producit; plantas, quas ſi quamprimum convellere negliges, ſenſim, & ſine ſenſu in nobis ſuffocant virtutis ſemen; Chriſtiani vitam aſſiduum eſſe prælium illi deprælianduin contra ſuam cupiditatem; cupiditatem hanc ſemper eſſe vigilem, ut nos decipiat, & nos ſemper paratos eſſe debere contra impetus illius, & ſi per negligentiam aliquam illi locum tribuerimus, nos ſtatim illius futuros eſſe mancipia. Magnis hiſce veritatibus, religioſiſſime minimas etiam noxas evitare conantur; ex corde ſuo ſimpliciſſimas cupiditatis affectiones convellunt; vigilant, laborant, & ſine relaxatione præliantur. Ecce qua via ab iniquitate recedunt. Illuſio eſt credere ſe ab ea, ut illos, poſſe recedere, ſibi permittendo noxas eaſdem, quas illi cane pejus, & angue abominantur. In Chriſtianiſmo non ſunt duæ morum diſciplinæ. Difficultas prævertendi mala præter propter ubique Chriſtianis omnibus par eſt. Se in quadam neceſſitate in illa tuendi conſtituit, qui negligit, vel contemnit ea, quæ juſtæ, ac vigilantes animæ adeo neceſſaria experiuntur, ut ſuæ ſaluti proſpiciant. *Sermo quintus Academiæ anni 1707.*

Plures poſtquam bene incœperunt tandem ſuccubuerunt tentationi vigilantiæ defectu.

Utinam ſcire poſſemus, quot Chriſtiani poſtquam vigilarunt, diu pugnarunt, tandem inciderunt in laqueum, ac turpiter victi ſunt, quia nimis freti ſunt præteritis victoriis, & quia nihil ſibi timendum eſſe cenſebant! Si aliquot adhuc momentis vigilantes fuiſſent, obtinuiſſent palmam, pro qua tamdiu decertaverant: cauſa æternorum gemituum ſuorum in inferno! modo hic, modo alius cedit, & perit, ne credamus igitur, nos eſſe in tuto propter ſalutem. Salus fructus eſt belli, non niſi cum vita deſinentis. Sufficit momentum, ut vincamur: igitur ad extremum uſque ſpiritum timendum eſt, inceſſanter vigilandum, ne labamur. Pugnando, uti opus eſt, Domine, certus ſum victoriæ; ſed ad pugnandum uti opus eſt, mihi perſuaſum eſſe debet, nullum eſſe momentum, quo victoria mihi nequeat auferri. Certus ergo non ſum, niſi quatenus ſapiens, & juſtus metus efficit, ut ſemper vigilem. Chriſtiani non timent hoſtem maxime formidabilem, & vivunt in perfecta ſecuritate, nullam adhibent præcautionem ad impetus illius infringendos, ruinaſque ſarciendas, quomodo non vincentur? *Pater Segneri.*

Cogitandum eſt cum quo inimico nobis agendum ſit ut ſemper vigilemus.

Ita ſane: dæmon eſt terribilis inimicus, cum propter rabiem, tum propter verſutiam; propter rabiem quidem, quæ numquam ſopitur, propter verſutiam vero, cujus artes numquam exhauriuntur. Illi ergo opponam fortitudinem, ac vigilantiam, quæ nunquam deficiant. Dæmon me circuit inceſſanter, ut me devoret: obſtruam ego illi omnes aditus in cor meum, iis omnibus, quæ poterunt illi viam ſternere; ut numquam ex memet egrediar, ad extrinſecus agendum niſi oratione armatus, niſi cautus ab inſidiis illius; ſi etiam hic me inopinantem apprehenderit, numquam de victoria deſperabo, inveniam in fide mea, unde perículoſiſſima illius tela propulſem. Fidenter invocabo te Domine, & mihi opitulaberis. *Idem.*

Vigilantia multo quidem impendio naturæ ſtat; ſed non ſine cauſa hæc a nobis exquiritur, hæc nobis eſt abſolutæ neceſſitatis. Cum quo enim inimico nobis eſt certandum? Hic eſt *diabolus adverſarius* noſter, qui *tamquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret.* Odium illius numquam dormitat, ſed in illo vigilat ſemper; nos inceſſanter perſequitur, continenter nos incautos opperiri ſtudet. Leo eſt actu famelicus, & eſuriens, ac rugiens, ad rugiens, ad conſpectum prædæ, quam videt: nempe numquam vel magis dormitat, nec furit minus, quam leo eo ipſo momento, quo illum urget fames: & addit Apoſtolus, *quærit, quem devoret*; quæ loquendi ratio inquit, Tentatorem nullos ſibi umquam fines ſtatuere in jure illo, quod in nos ſibi aſſerit, quodcumque crimen nobis ſuaſerit, reſtat eadem ſemper ſævitia, uſque ad excidii noſtri conſummationem; eſuries ejus ſaturari non poteſt. Infinita animarum multitudo, quæ illius præda fiunt, relinquit illi adhuc inane, quod repleatur, & inceſſanter *circuit quærens, quem devoret.* 1. Petri 5. Vobis igitur res eſt cum hoſte vigilanti, & inſaturabili. Qua igitur vobis opus eſt vigilantia, ut ejus conſilia, conatuſque in irritum cedere efficiatis? *Pater Segneri.*

Salutis inimicus verſutiæ furorem addit, ut nos perdat.

Quantumvis terribilis ſit noſter adverſarius vigilantia, & furore ſuo, non minus metuendus eſt propter nequitiam, ac dolos. Leo furens eſt, tamen licet in viribus ſuis præfidat, non imprudenter in prædam ruit; hanc circuit, tempus ſuum opperitur, ut incautam opprimat. Cum ergo nobis negotium ſit cum inimico adeo verſuto, potiſſima hæc nobis eſſet cura evitandi, ne nos imparatos inveniat. Nobis igitur invigilemus, tamquam ille, qui metuit, ne in ſingula momenta opprimatur. *Idem.*

Primum illud ad cordis noſtri cuſtodiam neceſſarium eſt vigilare, ne quid illud ingrediatur, quod illi vulnus valeat inferre. *Dixi cuſtodiam vias meas.* Pſal. 38. Hæc eſt interior cuſtodia, ut ita dicam: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Prov. 40. Ideoque ſimul & mors. Cor eſt tamquam arx ſummi momenti, a qua pendet ſalus hominis, & interitus. Tres fæderati inimici, mundus, caro, & dæmon jugiter conantur, ut in illud ſibi aperiant, mundus quidem vanitatum ſuarum oſtentatione, caro voluptatum illecebris, dæmon vi ſuarum tentationum. Quæ cura, quæ vigilantia requiritur, ut nobiſmet caveamus a tot inimicis, qui nobis circumundique circumſtant? Contra tot hoſce inimicos defendimur aſſidua exercitatione orationis, cæcaque obedientia illi, qui nobis locum tenet Dei in terris ad conſcientiam noſtram regendam. Omnes quidem Chriſtiani nequeunt ita ſibi cavere. Officia Virginis Deo devotæ alia ſunt ab illis nuptæ, Religioſi viri munera prorſus alia ſunt ab illis laici; ſed noſtrum ſinguli ſibimet invigilare debent, quantum ſtatus ſui obligationes patiuntur. In excubiis ero, ubi me Providentia conſtituit. *P. Segneri.*

Ad cor noſtrum cuſtodiendum fugiendæ ſunt periculoſæ cõverſationes.

Legem nobis irrogemus fugiendi præſertim periculoſas, vel inutiles converſationes, quæ omnem fere ſæcularium vitam occupant. Cor fortaſſe numquam in majori periculo verſatur, quam his momentis, quibus Mundani nobis ſenſim, & ſine ſenſu virus afflant fallacium dogmatum, morumque ſuorum corruptorum. Sed quin hujuſmodi conſortia evitemus, illa inquiremus, quænam erit temeritas noſtra? Hoc eſſet ex propugnaculis noſtris evadere, & ultro noſmet objicere caſtris inimicorum noſtrorum. Miles fidelis ſtat in apice propugnaculi exploraturus, an quiſpiam accedat. Hoc exemplar eſt, quod nobis proponit Iſaias cap. 21. 8. *Super ſpeculam Domini ego ſum ſtans jugiter per diem & ſuper cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus.* *Idem.*

Sed cor noſtrum cuſtodientes immoti, inerteſque manebimus? Præterquam quod jugiter ſummovere debemus inimicos noſtros, qui non minimus labor eſt etiam, ut noſmet occupemus ea re, quæ una debet nos in hoc mundo habere ſollicitos, videlicet, tranſitu de hac vita ad æternitatem. Scimus quamprimum venturum eſſe Dominum ad repetendam rationem noſtrummet ipſorum; quid igitur cogitamus, niſi ea, quæ nobis dicturus eſt, & noſmet præparamus ad ea, quæ nobis illi erunt reddenda? Nonne hoc negotium eſt, quod intereſt noſtra, negotium, quod ſine ulla comparatione nos magis urget, quam cetera. *P. Segneri in Meditat.*

Militia Chriſtiani adverſum inimicos ſalutis ſuæ non ceſſas niſi cũ vita numquam ille debet ponere arma.

Chriſtiani vita prælium non eſt omnino intermiſſum. Hoſtes quippe, qui nobis adverſantur, nequaquam in ſingula nos urgent momenta. Vult Dominus, ut aliquando permittant nobis cum tranquillitate frui ea ſuavitate, quam guſtant, qui ſerviunt illi. Sed licet certamina non ſint aſſidua, bellum, quod nobis ſuſtinendum eſt, non ideo ceſſat. Ad extremum uſque ſpiritum in hoſtico incendimus, ubi in ſingulas horas ad pugnam ineundam poſſumus evocari. Fruamur ergo taliter his quietis intervallis, quæ nobis bonitas impertit divina, non ceſſemus vigilare, ſemperque parati ſimus, ut in aciem deſcendamus. Induciarum momenta infirmitati noſtræ permiſſa non ſint occaſiones remittendi in re quapiam fervorem, atque vigilantiam. E contra illis utamur, ut recentes accipiamus vires, & pares inveniamur, qui ſalutis noſtræ inimicis reſiſtamus. *P. Segneri in Medit.*

Non poſtremum Chriſtianæ Vigilantiæ munus eſt, quam diligentiſſime linguam noſtram cuſtodire, & in verbis proferendis ſibi cavere. Senſuum uſu recipimus, & ad nos attrahimus, quæ extrinſecus ſunt, per uſum verbi producimus extra, quidquid eſt intra. Sed non ſolum noſtra refert nobiſmetipſis invigilare, ne quid inutile ingrediatur in nos, verum etiam ne quid inconditum egrediatur a nobis. Si enim nimis ſermonibus a nobis effluit anima noſtra, credibile non eſt, quantum ſe diſtrahat, ac per interiora ſe munera debilitet. Hoc autem inde oritur, quod multa loquens removet in imaginatione ſua multitudinem imaginum, quæ ante ſopitæ erant, & quæ excitantur per conatum, quem exerit ſpiritus volens loqui, & ſeſe aliis communicare. Hinc ſequitur, ut habeatur imaginatio tranquilla, & ſerena mens ac diſpoſita ad Dei lumen recipiendum, extrema opus eſſe vigilantia, ponderando omnia, & ſingula verba noſtra, & aſſumendo tale imperium in linguam noſtram, ut non imitemur illum amicum Job, qui intus tanta agitabatur loquendi prurigine, ut niſi locutus fuiſſet, crudeliſſimam ſibi mortem ſubiturus fuiſſe videretur. *Ex Epiſtolis P. Surini Tom. I.*

Sine jugi certamine victoriam non poſſumus referre de noſtris cupiditatibus.

Chriſtiana vigilantia in eo ſita eſt, ut ad nos revertamur, actionibus noſtris invigilemus, cauſas ſcrutemur, quæ nos ad agendum inducunt, cognoſcamus cupiditates quibus agimur, & inordinatus cordi noſtri motus exploremus, cumque pluries illos cognoverimus, per effectus, quod pariunt, veniamus ad cogitationem cauſæ videlicet vitii habitualis, a quo producuntur. Mox cognitis hiſce motibus, & cupiditatibus, quæ nos trahunt, nobiſmet invigilemus, ne ex improviſo deprehendamur, ac fortiter reſiſtamus iis certaminibus, quæ nobis ſunt ſuſtinenda. Quod ſi nobis contigerit, ut vincamur, nihil nobis eſſe debet antiquius, quam peccata noſtra lacrymis eluere, ignaviam noſtram plectere, & certum capere conſilium deinceps ſtrenue reſiſtendi objectis, quæ nos ſeducere poſſent, & iterum nos in præceps dejicere. Perſeverandum eſt in prælio, quin nos tædeat, numquam ceſſandum eſt, & prælium hoc in interiorem occupationem noſtram vertendum eſt, nulla enim ſine prælio victoria eſt, & nullus ſine victoria triumphus; nulla nobis ſalus eſt ſperanda, niſi de cupiditatibus noſtris victoriam referamus. *Idem ibidem.*

Nobis tanta cura vigilandum eſt ſaluti noſtræ, quanta mercatores mercibus ſuis.

Itane parum eſſemus cordati, ut minus pro Deo facere velimus, quam mundus faciat pro negotiis temporalibus? Videamus, quid mercator, ut ſibi ſua benevertant negotia, quid bonus opifex, ut in arte ſua ſe pretium præbeat. Quæ attentio, quæ vigilantia, ut ſibi ab omni periculo caveant! Mercator habet rationarium ſuum, quid vendiderit in ſingulos dies recenſet, ut ſciat, utrum ſumptus ſuperet rei venditæ pretium, & deinceps ſarciat detrimentum; opifex ut videat, quid lucratus fuerit, & moderetur ſumptus, quos in victum erogat familiæ ſuæ. Hoc ipſum & nos faciamus muneribus noſtris perfungentes, & certe perveniemus ad perfectionem, ad quam evocamur. Verum niſi vigilantes fuerimus, aſſidui, & ſinguli officiis intenti ſtatus noſtri, ſimiles erimus mercatoribus nullum facientibus lucrum, & ſimiles opifici, qui ſemper novitius eſt, ac tyro. Hæc vigilantia, & conſtans attentio eſt omnino neceſſaria in noſtræ ſalutis negotio, & in ſtudio Chriſtianæ perfectionis, quia diligentia eſſe debet congrua magnitudini rerum, quæ nobis agendæ ſunt. Sed quodnam majoris momenti negotium, quam hoc noſmet ſanctificandi & acquirendi perfectionem, quam Deus a nobis expectat? Igitur facile eſt concipere, quanta nobis adhibenda ſit cura, & vigilantia in hac re, quam Dei filius ipſe tanti momenti eſſe judicavit, ut illam unum illud, quod neceſſarium eſt, vocitarit. Dici ergo citra hyperbolem poteſt noſtram in re hac vigilantiam jugem eſſe debere; necnon debere extendi ad omnes cogitationes noſtras, verba, actiones ſive interiores, ſive exteriores, magnas æque ac pravas, nitentes, & obſcuras, quæ videlicet parum habent lucis, atque ſpeciei. *Epiſtola P. Surin Tomo I.*

VOCATIO AD VITÆ STATUM.

HUJUS ELECTIO FACIENDA, DEUS HAC IN RE CONSULENDUS, EJUS AUXILIUM, ET LUMINA IMPLORANDA.

ARGUMENTUM.

IN hoc tractatu de vocatione non egimus de vocatione ad fidem, atque religionem chriſtianam, veluti cum ſermo eſt de vocatione gentilium; neque de vocatione ad ſtatum eccleſiaſticum, vel religioſum, ſed de electione vitæ illius, quam quilibet debet amplecti. Cumque electio hæc facienda non ſit, niſi poſt exploratam voluntatem Dei nos ad hoc vitæ genus vocantis, hanc dicimus ad ſtatum, vel profeſſionem aliquam, quæcumque illa tandem ſit, vocationem.

Argumentum hoc, licet hoc pacto coarctatum, aliquam tamen adhuc habet rationem cum aliis a quibus omnino ſeparari non poteſt, veluti cum Providentia; hæc quippe varios inſtituit ſtatus, quos videmus in mundo, nobiſmet tribuit ſubſidia, ut in illis ſalutem noſtram operemur, cum ſubmiſſione voluntati divinæ, quæ nobis conſulenda eſt, antequam ſtatum ullum ingrediamur; cum prudentia chriſtiana, cujus effectus eſt electio facienda; ſed omnia hæc argumenta aſſumenda non ſunt, niſi tanquam probationes, vel partes argumenti illius, quod præcipue pertractandum aſſumitur.

Hoc ſolum cavendum eſt, ne illud pertractantes magis æquo exaggeremus omnem ſalutis ſpem auferentes illis, qui malam habuere electionem; ſed in ea etiam ſalutis operandæ difficultate, poſtquam temere temet in eum immiſcuiſti ſtatum, in quo te nolebat Deus, oſtendendum eſt, non deeſſe gratias, quæ malum hoc reparare poſſint; & illi, qui nondum electionem hanc fecerunt, hortandi ſunt, ut conſulant Deum tanquam in re, a qua pendet ſalus æterna, &c.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ ſermonum hujus argumenti ſtructuræ.

I. TRes propoſitiones ſermonis hujus argumentum, & diviſionem efficient. 1. Nil æquius eſt, quam per Dei vocationem ſtatum amplecti. 2. Nihil difficilius, quam agnoſcere ſtatum, ad quem nos evocat Deus. 3. Nihil utilius, quam ſerio huic rei operam navare.

Pro prima. Supponendæ ſunt duæ veritates, quarum altera eſt; quamvis conditiones omnes bonæ ſint & a Deo pro humanæ ſocietatis bono inſtitutæ, eas tamen non omnibus indiſcriminatim perſonarum generibus bonas eſſe; & hanc utilem alicui eſſe, quæ alteri nocua, & pernicioſa futura eſt; etenim non omnibus eadem ſunt ſtudia, eædemque naturæ diſpoſitiones, eædemque Dei gratiæ. Veritas altera eſt, Deum, qui per providentiam ſtatuum, munerumque vitæ humanæ diverſitatem conſtituit, aliis quidem hoc, aliis vero aliud deſtinare officium, tanquam patrem familias, qui prout e re futurum cenſuerit, domus ſuæ famulis officia patitur. Idcirco hominibus diverſa tribuit ſtudia, talenta, & ornatus tum corporis, cum animi, eiſque varie ſuas gratias largitur pro variis neceſſitatibus ſtatuum, ad quos ſinguli evocantur.

Pars prima. Nihil æquius eſt, quam per Dei vocationem ſtatum aliquem ingredi. Primo propter ſubmiſſionem, qua a ſupremo hoc rerum Domino pendere debemus. Totus terrarum orbis, ut ita dicam, illius domus eſt; omnes homines illius familiam conſtituunt; illic ſunt & tanquam ſubditi, & tamquam filii; & patris, dominique eſt ſinguli munus præſcribere. 2. Quia ipſi noſmet regere non poſſumus; hac in re paſſim vel ex libidine, vel fortuitu operamur; neque mirum eſt, ſi aberramus: at Deus, cui non minus ſapientiæ, quam bonitatis adeſt, nos optimo collocabit, cum ipſe unus norit, quid refert noſtra: cumque ipſe nos creaverit, ſcit ille, quibus negotiis pares ſumus; ſcit finem, ad quem nos deſtinavit, & ideo vias, per quas nos illuc adducere poſſit. Illius igitur intereſt, has nobis oſtendere, in illas nos deducere, & efficere, ut ipſius mandata ſequamur. 3. Sine illius ope nihil poſſumus; & niſi benignus noſtris cœptis annuerit, nulla res nobis unquam fluet e ſententia. At ſuamne benedictionem elargietur iis rebus, quas eodem inconſulto, ejuſque inexplorata voluutate fuerimus aggreſſi?

Pars altera. Nil difficilius, quam eum agnoſcere ſtatum, ad quem nos evocat Deus. 1. Quia omnia conjurare videntur ad nos hac in re excæcandos, eaque rapienda lumina, quæ nobis ſunt neceſſaria. Amor proprius, affectiones noſtræ, nimia voluptatum, honorumque cupiditas, indulgentia, obſequium erga amicos, benevolentia, gratitudo, ipſa etiam obedientia, quam parentibus debemus, mundi præjuditia, officia quædam generi, & conditioni noſtræ inhærentia, amor libertatis; omnia hæc oculis noſtris velamen quoddam obtendunt; quod omnia, quæ nobis Deus concedit, lumina vix poſſunt pervadere. 2. Quamobrem nihil eſt, cui accuratius nobis opera danda ſit, quam Dei voluntati explorandæ. Id autem faciendi ratio ſunt frequentes, ferventeſque ad hunc finem preces, eleemoſynæ, aliaque bona, opera, ardens ſalutis deſiderium, certa voluntas ſequendi vocationem Dei, ſtatim ac nobis ſatis explorata fuerint poſtquam media omnia ad id neceſſaria fuerint a nobis adhibita.

Pars tertia. Maxime intereſt ſequi hanc vocationem, cum nos ad aliquem vitæ ſtatum Deus vocat. 1. Quia vocationis gratia critica eſt, cui ſi deſumus, noſtram in diſcrimen adducimus; gratia univerſalis, quæ infinita plures complectitur; ſi huic defueris vocationi, omnes gratiæ iſtæ deerunt tibi: & quamvis omnino actum non ſit, nec deſint gratiæ quædam, quibus malum hoc reparari valeat, conſtat nihilominus, longe difficilius futurum eſſe alio in ſtatu ſalutem ſuam operari, quam in illo, ad quem te Dominus evocabat. 2. Maxime intereſt hac in re nihil aggredi contra Dei voluntatem ſignificatam, propter funeſtos exitus, qui reſiſtentiam hanc conſequuntur, malos negotiorum noſtrorum eventus, difficultates muneris noſtri obeundi, noſtræque ſalutis procurandæ eo in ſtatu, quem nobiſmet ipſis elegimus.

II. Pro concionis argumento de ſtatu a nobis capeſſendo aſſumere poſſumus. 1. Neceſſitatem bonæ electionis faciendæ. 2. Modum illius bene faciendæ.

Pro puncto priori. 1. Bona hæc electio cauſa eſt terrenæ felicitatis noſtræ, quæ pendet a benedictione, qua Deus labores noſtros proſequitur. 2. Cauſa eſt æternæ felicitatis noſtræ, cum elegimus ſtatum, in quo facile, & utiliter ſalutem noſtram operari poſſimus. 3. Cauſa eſt pacis, & tranquillitatis animi, qua in hac vita frui poſſumus.

Pro altero puncto, quod attinet ad modum hanc electionem faciendi. 1. Electioni huic inſtituendæ noſmet præparare debemus vitæ ſanctitate, eleemoſynis aliiſque bonis operibus, quibus cœleſtes gratias promereamur. 2. Imploranda ſunt cœleſtia lumina, ut tanti momenti negotium rite obeamus. 3. Serio ad id animus appellendus eſt; ſalus noſtra ſpectanda; ſequendum directoris ſapientis, prudentis, integerrimique conſilium, qui animam noſtram penitus cognoſcens judicare poſſit, ad quid nos evocet Deus.

III. Primum. Vocatio a Deo proficiſci debet, ideoque vitæ ſtatus nequaquam eligendus eſt ex animi libidine, vel inordinata quapiam utilitatis, ambitionis, voluptatis cupiditate, ut commode vivamus, & omnibus vitæ hujus deliciis perfruamur.

Secundo. Ad unguem vocationis officia adimplenda ſunt.

Tertio. In vocatione ad finem uſque perſeverandum eſt. *Ex ſpecimine ſerm. pro Dominicis.*

IV. De bonæ vocationis conditionibus. 1. Temere facienda non eſt, ſed matura animi deliberatione inſtituenda, Conſulendus Deus, &c. 2. Non debet eſſe præceps, ſed requiritur aliquod temporis ſpatium, ut periculum fiat, utrum pares ſimus laboribus huic vitæ generi adhærentibus perferendis. 3. Libera eſſe debet, non coacta, neque contra ſtudia, & animi noſtri propenſionem.

V. 1. Status vitæ electio ex omnibus vitæ circumſtantiis eſt, cujus error maxime timendus eſt; hoc erit punctum primum. 2. Status vitæ electio ex omnibus vitæ circumſtantiis ea eſt, cujus error vulgatiſſimus eſt; hoc erit alterum. *Ex P. Maſſillon.*

VI. 1. Hæc vitæ ſtatus, & profeſſionis electio a Deo proficiſci debet: non enim hoc naturæ ordo, ſed gratiæ de eodem decidere debet. 2. Huic electioni adhæret vitæ requies, & felicitas; conſulto igitur opus eſt, ne aliquando electionis ſuæ pœniteat. 3. Electio hæc eſt via ſalutis; igitur attentione opus eſt, ut cognoſcatur, ne humanas ob cauſas illam aggrediamur. *Idem.*

VII. 1. Conſiderandum eſt ſtatum noſtrum a Deo profectum eſſe, quocumque modo illum ingreſſi fuerimus: 2. Hinc nonniſi ex mandato exerceri poſſe, & ut ratio reddatur Deo, qui nobis illum mandavit. 3. Vitam, mores, actiones cum ſtatu noſtro conformandas eſſe; & in hoc poſitam eſſe ſanctitatem, omnemque perfectionem, quam Deus a quolibet ſingillatim expectat.

VIII. 1. De modo, quo hodierna die in ſæculo vivitur. Nil facilius eſt, quam falli in electione ſtatus vitæ, & nihil e contra difficilius eſt, quam tuto vias ingredi, quas nobis Dominus oſtendit. 2. Quidquid hac in re peccatur, non ſolum ferme irreparabile eſt, ſed in futurum etiam funeſtiſſimum exitum habet. Nihil facilius quam in eligendo vitæ ſtatu errare; hoc primum erit punctum. Hihil magis terribiles, ac periculoſos exitus habet, quam hic error: hoc eſt punctum alterum. *Ex Cheminais P. tom. 2. ſerm. hujus argumentis.*

IX. 1. Nihil magis neceſſarium eſt, quam Deum conſulere, ut illius vocationi pareamus. 2. Apertiſſimum hujus vocationis argumentum eſt non quærere ſtatum vitæ, qui ſecundum mundum ſublimior eſt, quia hic ſaluti eſt periculoſior.

X. Ut bona fiat electio, & antequam fiat, tria ſpectanda ſunt. 1. Status, quem amplectimur, officia; & ſedulo inſpiciendam, utrum illis obeundis pares futuri ſimus. 2. Labores, qui ſtatum hunc concomitantur, & videndum, utrum illis perferendis vires noſtræ ſufficient. 3. Salutis pericula, quæ in eo ſtatu occurrunt, & eorum evitandorum ratio excogitanda.

XI. 1. Media bene eligendi ſtatum vitæ, quem amplecti volumus, ſunt, id efficere intuitu ſalutis, & ob ſalutis noſtræ rationem: 2. vires noſtras, ingenium, talenta, ac ſtudia conſulere: 3. ſæpe cœleſtia implorare lumina, & auxilia, ut maximum hoc opus.

2. Me-

2. Media corrigendi malam, quæ facta fuit, electionem. 1. Nobiſmet perſuadere debemus non deeſſe gratias, quibus error ille reparari queat; & ſi illæ nobis defuturæ ſunt, quæ deſtinatæ erant in primo ſtatu, quem non ſumus amplexi, poſſe non eſſe fideles gratiis ſtatus alterius, quem ingreſſi ſumus, atque hoc pacto, quidquid peccavimus, emendare. 2. Si hic ſtatus eſt periculoſus, & relinqui poſſit, quam primum relinquendus eſt. 3. Sint autem relinqui non poteſt, ibi tamen majori cum vigilantia, ac fidelitate in Dei cultu vivendum eſt.

XII. Triplex luminum genus nobis conceſſit Deus ad ſuam de electione ſtatus vitæ a nobis facienda cognoſcendam voluntatem. 1. Rationem. 3. Conſilium; quæ tria ſimul conjungenda ſunt, ut tutius intelligamus cœleſtis hujus Patris beneplacitum, & ut ſimus filii lucis. *Ex P. Paulo Segneri.*

XIII. De malis, quæ pravam ſtatus electionem ſubſequuntur. 1. Triſtitia, qua toto vitæ ſuæ tempore conficietur, qui perperam vitæ ſtatum elegerit; tædia, & moleſtiæ, quas illic inveniet. 2. Magnus peccatorum numerus, qui tibi committet. 3. Periculum ſalutis, cui ſe objiciet.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres. S. Ambroſius *lib.* 1. *offic. cap.* 44. oſtendit vacandum eſſe officiis, ſeu muneribus, quæ noſtri characteris ſunt propria.

Idem *lib. de Joſeph. cap.* 4. docet, nos in humillima etiam conditione, & ſervitute fideles eſſe poſſe Deo.

S. Chryſoſtomus *homil.* 43. *in Geneſ.* oſtendit, nos Deo fideles eſſe poſſe ea in conditione, qua inter impios verſari nos cogimur; quod Sancti hominis Loth exemplo confirmat.

S. Hieronymus *Epiſt.* 13. docet, ſanctos neque loco, neque conditione fieri, ſed vita, quæ hoc in loco, & conditione dicitur.

S. Bernardus *ſerm.* 49. *in Cantic.* oſtendit Chriſtiani perfectionem in hoc eſſe poſitam, ut ſinguli ſtatus ſui muneribus rite perfungantur.

Aſcetici aliiſque. Leſſius in Opuſculis amplum edidit tractatum de electione ſtatus vitæ amplectendi, ſed ibi ferme de religioſo ſtatu verba facit.

Gregorius a Valentia tomo tertio Theologiæ alium edidit, cui titulus; *Diſputatio decima generalis de variis ſtatibus hominum, & officiis.*

S. Franciſcus Saleſius ſerm. 17. ubi de hoc agit argumento, pro bonæ vocationis indicio tradit firmam, conſtantemque voluntatem ſerviendi Deo in vocatione, ad quam nos Deus evocavit.

Liber, cui titulus: *Inſtructio ad vitæ ſtatum eligendum*, ubi fuſius verba fiunt de iis omnibus, quæ ad hoc pertinent argumentum.

Gobinet in libro, cui titulus: *Inſtitutio adoleſcentiæ*, quintam operis partem impendit ex ordine, fundituſque hoc tanti momenti argumentum pertractans.

In libro, qui inſcribitur: *Chriſtiani interioris exercitia*, ſermo eſt de vitæ electione facienda.

In ſpecimine Ethnicorum paſſim hujus argumenti occurrit ſermo, præſertim vero tomo 2.

Cambolas in exemplari vitæ chriſtianæ cap. 6. oſtendit chriſtianam virtutem efficere, ut artes, ac magiſtratus ſecundum chriſtiana placita exerceantur.

P. Nepveu tomo tertio chriſtianarum conſiderationum pro die 13. & 14. Septembris loquitur de hujus vocationis momento, & de ratione illius cognoſcendæ.

Pean in ſpiritualibus diſcurſibus duos habet hujus argumenti tomo primo; quorum alter oſtendit Deum eſſe conſulendum, antequam vitæ ſtatum ingrediamur; alter vero veræ vocationis ſigna proſequitur.

P. Haineuve tomo 1. de Ordine ſermone 14. & 15. in quorum priori agit de iis, quæ generatim ſcienda ſunt, in poſteriori vero de ſtatu eligendo.

P. de la Colombiere in chriſtianis conſiderationibus articulum habet, ubi de ſtatus officiis verba facit.

P. Croiſet tomo 2. conſiderationum ſpiritualium agit de facilitate, qua homines ſeſe mundo implicant non vocati.

Illi omnes, qui exercitia ſpiritualia edidere ſecundum S. Ignatii methodum, peculiarem habent meditationem de amplectendi ſtatus electione, vel conſiderationem, quomodo ſe quiſque gerere debeat, inter præcipuos ſolitudinis fructus reſpiciunt.

P. Delingendes *Feria* 6. *Dominic. Paſſionis.*

Concionatores. P. Bourdalove in variis ſermonibus, ſermone de ambitione plura habet de magiſtratibus, ac dignitatibus; ad quas non vocati obrepunt.

P. Cheminais tomo 2. ſermonem habet do ſtatus electione.

P. de la Rue in ſermonibus ejus nomine editis, ſermone pro feria 4. hebdomadæ ſecundæ in Quadrageſima.

P. Maſſillon ſermone pro die eadem, & in idem argumentum.

Auctor actionum chriſtianarum tomo 2. ſermonem habet de cura habenda conſulendi Dei de electione ſtatus amplectendi.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ criſtianæ argumenta ſermone 6. Adventus.

Idem ſermone pro feria 5. primæ hebdomadæ in Quadrageſima oſtendit nos in qualibet conditione ſaluti noſtræ poſſe conſulere.

Specimen ſermonum pro Dominicis, argumento 2. pro ſecunda poſt Epiphaniam Dominica.

Buſæus in tomo *de ſtatibus* collegit officia ſingulis vitæ ſtatibus peculiariter inhærentia. Qui collectanea ediderũt.

Lohner. Titulo *vocatio*.

Labatha in *Theſauro* Titulo *vocatio*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, ſententiæ, & applicationes Biblicæ huic argumento.

LOquere Domine, quia audit ſervus tuus, 1. Reg. cap. 3.

Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te. 2. Paralip. cap. 20.

Quis eſt homo, qui timet Dominum? legem ſtatuit ei in via, quam elegit. Pſalm. 24.

In manibus tuis ſortes meæ. Pſalm. 30.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem. Pſalm. 142.

Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua. Pſalm. 24.

Relinquunt iter rectum, & ambulant per vias laborioſas. Proverb. 2.

Eſt via, quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem. Proverb. 14.

Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus ejus conſiderat. Proverb. 5.

Cor hominis diſponit viam ſuam: ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus. Proverb. 16.

Ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Sapient. 5.

Ne credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum. Eccli. 32.

Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis. Eccli. 32.

In his omnibus deprecare Altiſſimum, ut dirigat in veritate viam tuam. Eccli. 37.

Cum ſapientibus & prudentibus tracta. Eccli. 9.

Domine, quid me vis facere? Act. 9.

Quid faciens vitam æternam poſſidebo? Luc. 10. & 18.

Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. 1. ad Corinth. 7.

Unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus Eccleſiis doceo. Ibidem.

Videte vocationem veſtram. 1. ad Corinth. 1.

Obſecro vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis. Ad Epheſ. 4.

Vide miniſterium, quod accepiſti in Domino, ut illud impleas. Ad Coloſſ. 4.

Exempla ex utroque teſtamento deſumpta.

Rogabat, Deum David, ut ſibi oſtenderet viam, per quam ſibi eſſet incedendum.

DAvid homo ille ſecundum cor Dei, qui nil metuebat magis, qnam recedere a viis, quas illi providentia prænotaverat, qui ſciebat, quouſquæ cæci ſint homines in hoc impenetrabili myſterio, cum perſuaſum eſſet illi, unicam, ne aberraret, rationem eſſe luminum Patrem conſulere, & eſſe quodammodo quamdam obligationis ſpeciem inferre Deo, ut nos in lubrico tutos deducat, illius opem expoſcere, & providentiæ ejuſdem conſiliis ſe tradere, ſeſe his diſponebat verbis ad efficiendam electionem divinæ voluntati conformem; *Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.* Pſalm. 142. Sapiens hoc conſilium ab omnibus hominibus eſſet obſervandum, cum vitæ ſtatum electuri ſunt. Sed filii hujus mundi animum non advertunt ad vias Dei inquirendas. Finis eſſentialis hominis non eſt amplius regula mediorum, quæ aſſumit; quilibet cæce ruit in eo ſtadio, quo ſibi ſua cupiditas ſternit, & nunquam alias verius cum Scriptura dici potuit, unumquemque ſibi viam ſternere velle, quin cogitet, quo tandem deſinat, & quin id ſciat: feſtinat ad interitum: *Unuſquiſque in via ſua erraverunt.* Iſai. 47.

Moy-

Moyſes noluit ſibi ſucceſſorem eligere.

Moyſes, ut Philo Hebræus animadvertit, cum ſe morti proximum videret, auſus non eſt aliquem ex conſanguineis ſuis eligere, qui in perampla provincia a Deo ſibi credita populi regundi ſuccederet. Quorſum? Quia arbitratus non eſt, Auctor idem inquit, ſuos accerſere ad illud miniſterium, ad quod nonniſi explicita vocatione ipſe pervenerat: *Aut quia non putavit rem tantam ad ſuum pertinere judicium; aut quia ipſe non potuerit, niſi Deo vocante, principatum ſuſcipere.*

Factum Samuelis, cum proceſſit conſecraturus David.

Imitemur factum Samuelis, cum ivit ſecundum regem Iſrael conſecraturus. Scriptura nobis exhibet Prophetam hunc in domo Iſai, in quam ſceptrum inferre contendit. Omnes illius filios accerſit, intuetur, examine explorat, conſiderat: ſed quoniam oculi falli poterant, cœli lumina expoſcit. *Num coram Domino eſt Chriſtus ejus?* 1. Reg. 16. Eliabea in domo primogenitus ſeſe offert Samueli; hic juvenis eſt ex eorum numero, quorum habitus oris ſtatim oculos perſtringit, ſtrenuus, non rudis, decorus adſpectu, atque ex corporis ſpecie regno par: non deeſt illi corporis majeſtas, non deſunt militaria ſtipendia, non deeſt quidpiam, quod in tota exteriori ſpecie deſideretur. Attamen hic ille non eſt, quem regno Deus deſtinavit: *Non hunc elegit Dominus.* Singuli ex ordine accedunt, & David ille eſt, quem invenit Deus ſecundum cor ſuum: *Hunc elegit Dominus.* Admirabilis figura eorum, quæ a vobis facienda ſunt in ſtatus veſtri electione! Licet nobis oculos conjicere in varias conditiones, ad quas aſpirare poſſumus, ſed omnibus humanis conſiderationibus amotis dicamus: *Num coram Domino eſt Chriſtus ejus?* Deus me hoc in ſtatu, in hac affinitate, in hoc munere eſſe vult?

Quid faciendum illis, qui imitati Eſau male ſtatum ſuum elegerunt.

Oportet, eos, qui male ſtatum vitæ elegerunt, exemplo Eſau, cui parentis ſui Iſaac defuit benedictio, cœleſti patri preces effundere, ut alteram ſibi impertiri velit benedictionem: *Num unam tantum benedictionem habes pater? mihi quoque obſecro ut benedicas*, Gen. 27. Sed hanc non ſine ſuſpiriis, atque ejulatibus petant, & cum eo clamore, qui cor Iſaac confodit: *Cum ejulatu magno fleret.* Quid Domine, in infinitæ bonitatis tuæ theſauris una tantum via eſt, qua ſalvum me facias? Deus, qui fecit, ut errores meos cognoſcerem, eos mihi tradidit cognoſcendos in nullam reditus ſpem? Hoccine cogitare poſſum de Patre amantiſſimo? Conſule, Domine, cor tuum, quin meam reputes infidelitatem, ibi aliquam pro me damni ſarciendi rationem invenies &c.

Joſeph, David, aliique juſſu Dei tantum ad honores evecti fuere.

Joſeph ſe ad nuncianda fratribus patris ſui juſſa pergere arbitrabatur, cum Deus, qui illum Ægypti totius præſidem, familiæ ipſius columen, ac decus, & Jeſu Chriſti figuram efficere meditabatur, eum mittebat, ut principium naſciſceretur ordo ille divinus, cui eum deſtinabat. David quoque ad exercitum Saul ſe tantum conferre putabat patris imperio annonam fratribus ſuis delaturus, cum illum elegit Deus; ut cum Goliath, qui Judææ univerſæ terrorem incuſſerat, congrederetur; atque inde initium duceret divinus ordo, ad quem illum vocabat Deus, ut magnus eſſet ſimul Princeps, Propheta, ac Sanctus.

Exemplum filiorum Zebedæi.

Mater filiorum Zebedæi pro illis a Salvatore non petit, niſi terrenos honores, & quin illi negotium faceſſat, utrum ſublimis gradus, ad quem eos ſtudet attollere, conciliari queat cum paſſionibus, quas J. C. illis ſuſtinendas propoſuit; quin cogitet, utrum vires eorum pares ſint periculis, ac difficultatibus, quibus ſtatus ille obſitus eſt; quin videat, utrum filiorum ſtudia probent injuſtam hanc electionem, qua ſunt attollendi; jam propriis ipſa manibus eos in commentitiis collocat ſubſelliis; amoris mere naturalis motum conſulit, eiſque fatum proponens carnalibus ſuis deſideriis conforme, ſibi Dei ipſius vindicat jus quem penes unum eſt mortalium omnium arbitrium.

Cum S. Paulus uni omnium maxime laborioſo, ac terribili miniſterio deſtinatus, conſulit Dominum de ſtatu ſibi amplectendo, nequaquam excipit grave onus Apoſtolatus: *Domine, quid me vis facere?* Actor. 9. Domine, ait ille, ſine exceptione veritus, ne a Dei viis recederet, quid me vis facere! Loquere, Domine; præſtolor enim ſine ulla animi occupatione, & perfecta cum mentis ſubmiſſione imperium tuum? *Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus.* 1. Reg. 3. Quid mihi faciendum eſt, ut ſalutem conſequar, dicebat J. C. homo quidam efficaci ſalutis ſuæ tactus deſiderio: *Quid faciens vitam æternam poſſidebo?* Luc. 10. Talis diſpoſitio animarum fidelium, & ſanctarum, quæ verebantur, ne providentiæ conſiliis adverſarentur. Opus eſt, anima oculos circumundique in omnes conditiones convertens ſeſe coram Deo ſtatuat, tanquam victimam illi ad reliquam vitæ partem ſacrificandam, paratam eo modo, quem Deus magis opportunum, ac magnitudine ſua dignum cenſuerit.

S. Paulus fideles hortatur ut ſtatus ſui officiis fideliter perfungantur.

Hæc erat doctrina, quam prædicabat S. Paulus eccleſiis omnibus, qua tranſibat; neque videbat unquam fideles, quin eos admoneret, ut ſemper recti incederent in ſtatu ſuo, quin unquam deflecterent, ſi ad perfectionem progredi vellent: *Unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus eccleſiis doceo.* 1. ad Cor. 7. Quamobrem S. Bernardus dixit, ſtatum noſtrum hac in re plane Dei voluntatem nobis oſtendere; nos impellere ad ea facienda, quæ illi conformia ſunt, nos prohibere, ne faciamus ea, quæ ab illa diſſentiunt, atque teſtari, quod cum Deus nos in hoc ſtatu collocaverit, jubet, nos eidem vacare, ac digne muneribus ejuſdem perfungi, noſmet ab iis rebus omnibus expedientes, quæ ab eodem nos conantur avertere.

Applicationes quorundam Scripturæ locorum huic argumento.

OMnia membra non eumdem actum habent. Ad Rom. 21. Non ſecus ac monſtri loco eſſet, ſi oculus, vel brachium naturalem ſitum relinquerent, & ex hac partium perturbatione nullo detrimento corpus afficeretur; ita cum aliquis noſtrum relinquit præſtitutum ſibi a Domino ſtatum, atque ſeſe alteri cuipiam miſcet miniſterio, labem offundit pulchritudini eccleſiæ, quæ in perfecta membrorum omnium diſtributione conſiſtit, & mox univerſam corporis totius parit perturbationem.

Mala, quæ evitari non poſſunt, cum aliquis ex ſe moleſtum vitæ genus aggreditur.

Ne credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum. Cum enim motu proprio ſeſe implicuit homo in eum ſtatum, qui divinis oppoſitus eſt imperiis, nullum eſt in vita malum, quod inde expectandum non ſit. Et profecto ſeu conſideremus calamitoſos hos homines, qui providentiæ detrectarunt imperia, habita ratione proximorum, ſeu illos in ipſis inſpiciamus, nil video niſi triſtes deplorabilis hujus cæcitatis effectus.

Eſt via, quæ videtur homini juſta; noviſſima autem ejus deducunt ad mortem. Prov. cap. 14. Alia vero e contra nobis videtur initio difficilis, ſpiniſque præpedita, quæ in decurſu facilis, & commoda fiet: alia per ſe tuta eſt, quæ nobis periculoſa eſſe poteſt: alia aliis periculoſa eſt, quæ nos ad cœlum perduceret: alia numero, & magnitudine difficultatum, quæ aliis videntur inſuperabiles, nos nequaquam deterret. Verbo, de vitæ ſtatibus nequaquam ferendum eſt judicium ex eo, quod ſunt; ſed ut ſapiens, cordataque electio fiat, conſideranda ſunt ſecundum eam, quam nobiſcum habent, rationem, diſcutiendum eſt, an nos deceant, an ullum in illis vel pro tempore, vel pro æternitate diſcrimen ſubeamus.

Sunt qui veluti hæreditario jure in eccleſiam ingrediuntur ſine alia vocatione.

Qui dixerunt: hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Pſalm. 82. Non deſunt, qui in ſanctuarium ingredi volunt tanquam in hæreditatem, quæ ſibi ſucceſſionis jure debeatur. Hoc beneficium tot annos in noſtra permanet familia; & pro virili ſervandum eſt; eaque pars erit alicujus natu minoris, qui Abbatis titulo decorabitur. Verum aptuſne eſt ſtatui eccleſiaſtico? Hoc quærendum non eſt: beneficium hoc domui noſtræ adhæret, permittendum non eſt, ut inde egrediatur. Sed reſpondeo cum David Pſal. 82. *Deus meus pone illos, ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti:* hoc eſt, illos humilia, deſtrue, annihila, & quoniam in iis, quæ ad tuum pertinent cultum, rationem tui nullam habent, in illos maledictionum tuarum tela contorque. Et profecto nil magis fatale, nil magis obvium eventibus miſeris, quam hujuſmodi opes, quæ in eccleſia hæreditario jure poſſidentur.

Suavitas divinæ Providentiæ nos ad vitæ ſtatum vocantis.

Tu autem dominator virtutum, cum magna reverentia diſponis nos. Sapien. 2. Tantum abeſt, quod credenda ſit aliqua ineſſe vis in Dei erga nos providentia, ut perſuaſum nobis eſſe debeat, Deum de rebus omnibus magna cum reverentia, atque ſapientia diſponere: *Cum magna reverentia*, quaſi vellet innuere: Domine, homini libertatis tuæ, de voluntatibus noſtris non ſine quadam reverentiæ ſpecie diſponis, earum prudenter rationem habes, eaſque ſuaviter deducis: tuum eſt nobis illud vitæ genus præſcribere, quodcumque tibi placuerit, & non illud, quod ipſi vellemus. Dei unius eſt de cordibus noſtris diſponere, ſeu quod ipſe unus ad unguem eorum ſtudia cognoſcit, ſeu quod illa nonniſi impreſſionibus Dei digne poſſunt regi. Nunquid illis regundis par eſſet humana prudentia? Brevia ſunt hujus lumina. Nunquid ea regere mundus contendat? Hic non ſatis integer eſt. Nunquid homo ipſe hoc præſtare conetur? id ille citra iniquitatem non poteſt.

Vera ſanctitatis acquirendæ via eſt fideliter ſequi ſtatus ſui vocationem.

Quos prædeſtinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & ju-

& juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit. Ad Rom. 8. En ſecretum bonum myſticorum verborum, quæ omnem nobis felicitatem portendunt, Status noſtri vocationem ſequi vera via eſt adimplendi conſilium, quo Deus nos in hac quidem vita perficere, & in altera glorificare cupit. Hic ordo eſt, quem tenere debemus, ut ſancti ſimus, & aſcendamus ad Deum; quandoquidem hic ordo eſt, quem tenet Deus, ut veniat ad nos, atque noſmet ipſos ſanctificet. Primum nos *prædeſtinavit*, inquit Apoſtolus ad Rom. 8. quid autem hæc prædeſtinatio eſt? niſi lex æterna, & voluntas nos ſalvos faciendi, omnia nobis ad ſalutem neceſſaria ſubſidia conferendo; deinde nos *vocat*; ſed quo? niſi ad ſtatum, qui nobis proprius eſt, ut quod de nobis habet, conſilium adimpleat. Non ſtatim a prædeſtinatione nos ad gloriam transfert, ſed ab una ad alteram traducit per viam, quam nos docet, eum videlicet vitæ ſtatum, ad quem nos vocat.

Quanam prudentia de ſtatus electione ſit deliberandum.

Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent! Deuteron. 32. Utinam homines veritatem hanc bene intelligerent! quantum ad ſalutis rationem conducat bona vitæ electio. Næ illi ſtatim vitæ rationem mutarent; mature deliberarent, antequam ſtatum hunc ingrederentur, antequam ſeſe huic negotio immiſcerent! Si pavidam haberent conſcientiam, ac ſenſum aliquantulum delicatum, ex prudenti, ſcitoque confeſſario quærerent, utrum licite hanc, vel illam vitæ rationem ſuſciperent; ſed ubi ſemel eam ſuſceperunt, ſenſim, ac ſine ſenſu peccati timorem, quem habebant, amittunt.

Dei vox audienda eſt in hoc vocationis negotio.

Loquere Domine, qui audit ſervus tuus. 1. Reg. c. 3. Beatus ille, qui uti Samuel, ait, loquere Domine, quia audit ſervus tuus; ſi enim attente illius vocem audies, quandonam tibi mundus negotium faceſſet? Sed heu! non erit amplius tempus. Non ſecus ac nautæ magna ſæviente procella navarchi vocem non audiunt; ita dum voluptatibus, atque affectionibus agitaris, quomodonam Dei vocem audire vales? Hæc, S. Bernardus ait: *ſecretum conſilium, ſecretum auditum poſtulat.* Beatus ergo, qui antequam hanc vocationis electionem inſtituat, cum Deo ſe recipit cum eo de ſtatu amplectendo deliberaturus.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac ſententiæ SS. Patrum hujus argumenti.

QUi ſpreverunt voluntatem Dei invitantem, voluntatem Dei ſentient vindicantem. Auguſt. ad artic. ſibi falſo impoſitos.

Commendant mores ſtatum, non ſtatus mores. Ambr. Epiſt. 44.

Quanto ſtatus inferior, tanto virtus eminentior. Idem ibidem.

Omnis ad recte agendum provocatur ætas, & dignitas; nemo igitur publicis ſe excuſet actibus. Idem, Serm. 7. de milit.

Quod ipſi gerunt, officiis ſuis adſcribunt. Idem.

Tametſi Deus nos vocet, expectat tamen ut ſponte accedamus, ac tum nobis ſuum præbet auxilium. Chryſoſt. Serm. 1. de Verb. Apoſt.

Non una ſalutis via, nec unus modus eſt, verum per multi, ac differentes. Idem, l. 3. adverſ. vituperat. vitæ Monaſt.

Homo, ſi gehennam metuis: ſi regnum affectas, ne vocationem ſpernas. Baſil. Homil. 13. de Bapt.

Non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe laudabile eſt. Singuli credentium non locorum diverſitatibus, ſed fidei merito ponderantur: Spiritus ubi vult, ſpirat, Hieronym. Epiſt. 13.

Inſcrutabilia ſunt judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus, quibus ad ſalutem humanam attrahit genus. Caſſianus, Collat. 13. cap. 15.

Multæ utique perditionis viæ cum una regalis via, lex Dei videlicet, deſeritur. Idem.

Ad negotiandum vocatus es, ne perdas margaritam, ne theſaurum tuum deprædetur inimicus, ne navis demergatur una cum onere, & vacuus revertaris ad propria. S. Ephrem, in illud: Attende tibi.

In quocumque ſtatu ſive vocatione homo fuerit, nunquam ſe excuſare poterit, quod Deum amare nequeat, & proximum propter ipſum. Hugo Cardin. in Pſal. 18.

Tota ratio damnationis eſt perverſa adminiſtratio conditionis. Tertull.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento valeat depromi.

Quid intelligatur pro vocatione ad ſtatum vitæ & pro electione facienda.

VErbo vocationis ad vitæ ſtatum ſuperius admonui non aliud intelligi, niſi divinæ providentiæ diſpoſitionem, quæ ad arbitrium ſuum diſtribuens varias conditiones, munera, ac profeſſiones, quæ politicum, eccleſiaſticumque ſtatum conſtituunt, cuilibet tribuit talenta, ſubſidia, & gratias, ut rite ſuo perfungantur officio, ac ſalutem ſuam operentur. Per electionem vero ſtatus, & profeſſionis a ſingulis faciendam, curam intelligimus, quam quivis ſuſcipere debet, & neceſſitatem, quam habet, divinam hac in re voluntatem conſulendi, ut ſe providentiæ præceptis conformet, & obſequatur conſiliis, quæ illa de ſingulis habet.

In quo ſita ſit hæc vocatio ex parte Dei vocatis, & ex parte illius qui vocatur.

Hæc vocatio ex parte Dei conſiſtit 1. in peculiaribus luminibus, quæ ipſe tribuit illis, qui ſalutem ſuam cupiunt operari, per quæ illis oſtendit voluntatem ſuam & quo in ſtatu illi totius, atque facilius ſalvari potuerunt. 2. In validis ſtudiis, quæ illius pro uno potius, quam pro altero ſtatu immittit, & quæ illi, quos ad hunc evocat ſtatum, experiri in ſe conſueverunt. Sin autem vocatio conſideretur ex parte illius, qui ſtatum aliquem ingreſſurus eſt, conſiſtit in talentis, & qualitatibus, quas a natura ſortitus eſt; mente, ingenio, corporis viribus, natura, quæ omnia efficiunt, ut intelligat cuinam rei par ſit; & in recto ſenſu, quo de negotii hujus neceſſitate judicat; quæ res illum impellit ad vires ſuas excutiendas, Dei voluntatem conſulendam, implorandam opem, nihilque temere, & ſine conſilio aggrediendum.

Hoc in argumento ſupponendum eſt, & pro certo habendum, quemlibet ſtatum, & conditionem, cum pro humanæ ſocietatis utilitate, atque ordine ſervando, ſine quo vigere non poſſet, inſtituta ſit, inſtituta fuiſſe juſſu providentiæ, quæ novit diſtribuere, & aſſignare cuilibet, quod proprium eſt; & quæ illis, quo aliquo in ſtatu collocat, ea deſtinat ſubſidia, & gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut in eo omnia ſibi fluant e ſententia, & ut ibi ſalutem ſuam operentur.

Conditionũ inæqualitas effectus eſt providentiæ.

Altera veritas, quæ ex priori conſequitur, eſt hanc eamdem providentiam voluiſſe inæqualitatem, quæ in ſtatibus, conditionibus, atque inter homines invenitur; ab illa alios quidem ſublatos, alios depreſſos fuiſſe, alios divitiis, commodiſque auctos, alios vero paupertati, atque labori addictos. Quemadmodum autem hic ordo divina conſtitutus fuit providentia, omnes a Dei manu recipere debent diſpoſitionem, quam de ipſis illi facere placuit, omnibuſque perſuaſum eſſe debet, Deum, qui curam habet eorum, illos deſtinaſſe huic ſtatui, & conditioni, tanquam aptiſſimæ ad ea adimplenda conſilia, quæ ab æterno de iiſdem concepit. Quamobrem nequaquam putandum eſt, hanc conditionum, ſtatuumque varietatem, quam in mundo videmus, ſortis effectum eſſe.

Nulla ars aut vocatio ita humilis eſt, ut deſit qui illam exerceat.

Hic etiam inter providentiæ effectus recenſendus eſt, ut quin hominum ſtudiis vis ulla inferatur, nulla ſit adeo miſera conditio, quæ aliquibus utilis non ſit; neque ars ulla adeo vilis, ut nemo inveniatur, qui exerceat illam. Non deſunt, qui terram excolant, & annonam præparent illis, qui urbes incolunt, non deſunt, quibus militaris labor acceptus eſt, & qui ſtrenue vitam ſuam in diſcrimen adducunt. Alii commercium diligunt; alii mercaturæ operam impendunt; alii denique ſtudiis, ſcientiiſque vacant. Sunt, qui juſtitiæ exercendæ, qui imperando, qui imperata faciendo nati, factique videntur. Providentia hæc omnia inſtituit, & cuilibet locum decrevit.

Deus nos vitæ ſtatui deſtinavit, ut integrũ nobis ſit eligere.

Deus ita noſtrum ſingulis vitæ ſtatum, in quo prædeſtinationis ipſius opus adimplendum eſt, prænotavit, ut liberam nobis optionem reliquerit: non ſolum ut ex ſuavi, amabilique hac providentiæ ipſius ratione, quam habet erga hominis libertatem, intelligeremus ipſum nulla in re liberi arbitrii jura lædere velle; verum etiam ut nobis integrum relinqueret meritum maximi illius ſacrificii, quod offerre Deo poſſit homo, illi omnem vitam ſuam conſecrans eo in ſtatu, quem ipſi deſtinare placuerit Deo: ideoque noſtrum eſt bene conſulere, ac deliberare.

In ſtatus electione judicium ferendum eſt habita ſalutis noſtræ ratione.

Conſtans in diſciplina morum effatum eſt, homini de fine deliberandum non eſſe, quia hic abſolute neceſſarius eſt illis omnibus, qui eſſe volunt beati; ſed deliberatio ſemper verſari debet ſuper varia media, quæ ad finem adducunt: non enim omnia æque bona ſunt, & in profunda ignorantia, in qua verſamur, de negotio, quod tanti momenti eſt, nulla unquam

nimia eſſe poteſt diligentia, nimis unquam cœli ſubſidium implorari non poteſt. Et profecto quidquid efficere poteſt negotii alicujus exitum ambiguum, incertumque hominum ſapientum judicio, invenitur in electione ſtatus vitæ, quam ipſi facimus, & quidquid efficere poteſt, ut pravus negotii exitus ſentiatur, ſeparari non poteſt ab erroribus, quos in iſto committimus.

Cum agitur de vitæ ſtatu eligendo, ut illum amplectamur, nequaquam judicium ferendum eſt de ſtatibus ex eo, quod ipſi per ſe ſunt, ſed ut ſapiens, ac prudens electio fiat, illi conſiderandi ſunt ex ratione, quam habent nobiſcum. Noſtra ſalus, & Dei voluntas, quæ tali in ſtatu nos verſari jubet, eſſe debent veluti principia, & cauſæ noſtræ electionis, ita ut vere dicere poſſimus, hunc potius, quam alium quemlibet ſtatum eligo, quia poſt diligens examen cenſeo coram Deo, hunc eſſe illum, quem æterna infinitæ ſapientiæ decreta mihi prænotarunt; hoc animo illum amplector, ideoque in eodem & vivere, & mori volo. Talia eſſe debent illius hominis conſilia, qui falli non vult.

Non deeſt illuſio in eo, quod vulgo dicitur, homines in qualibet conditione ſalvari poſſe.

Cum oſtenditur periculum, quod adeſt quibuſdam in ſtatibus, qui parum congrui videntur ætati, viribuſque eorum, qui amplectuntur illos, putant ſe ſolidam afferre reſponſionem; nequaquam impoſſibile eſſe in quolibet ſtatu ſalutem ſuam operari, periculum ubique adeſſe, ubi bona deſit voluntas, ubi vero adſit, ubique ſalvari non poſſe. Sed hac in reſponſione plurimum illuſionis adeſt. Verum eſt in quolibet ſtatu ſalvari nos poſſe, ſed illic nonniſi ſummo niſu, quem pauci exerunt, ſalſus poteſt acquiri. Verum eſt, eos, qui in eo ſtatu ſunt, ſalvari poſſe per gratias, quas a Deo recipiunt; ſed non ſemper paratus eſt Deus, ut illis, qui ejus injuſſu ſtatus eos ingrediuntur, potentes concedat gratias, ſine quibus nemo re ipſa ſalvatur. Hoc rite conſiderandum eſt, & ad examen vocandum, antequam ſtatus aliquis ſuſcipiatur.

Prædeſtinatio noſtra pēdet ab electione ſtatus.

Omnis noſtra prædeſtinatio fere pendet a ſtatu, quem amplectimur: inde fere unice pendet noſtræ æternitatis felicitas, vel infelicitas. Prædeſtinatio, Theologi inquiunt ex parte Dei non aliud eſt, quam catena gratiarum, quæ nobis præparatæ ſunt, ex parte vero noſtra non aliud, quam ſeries actionum, quibus innititur judicium decretorium, quod de nobis a Deo fit. Quot reprobi, qui in inferno torquentur, vixiſſent in terra vitam Sanctorum, ſi Dei vocem ſecuti fuiſſent, eum amplectentes ſtatum, ad quem a Deo vocabantur? Quot cœlo fruuntur ſancti, qui in terris impii, ac flagitioſi fuiſſent, ſi eam elegiſſent conditionem, ad quam a Deo non vocabantur?

Quam neceſſaria ſit gratia vocationis ad aliquē ſtatum.

Poſt baptiſmi gratiam, quæ ſalutem noſtram incipit, & gratiam bene moriendi, quæ illam perficit, gratia ſtatus bene eligendi pro toto vitæ ſpatio una omnium maxime ſalutaris eſt, ac neceſſaria; quia eſt tanquam medium, & vinculum, quo baptiſmi gratia, & gratia finalis ſimul nectuntur. In communi via ad ſalutem triplici nobis opus eſt gratia, quibus illa innitatur; illi, qui primam in baptiſmo recepit, ac tertiam in morte recipere cupit, nihil utilius, & magis neceſſarium eſt, quam bene eligere ſtatum vitæ, ad quem vocatur a Deo; bona quippe electio, ſi noſtræ prædeſtinationis, & ſalutis ratio habeatur, idem eſt ac lapis medius, qui fornicis clavis appellatur ratione utriuſque partis fornicis ejuſdem, quæ clave hac junguntur, & ſuſtinentur.

Ratio, & fides credere vetant Dominum, poſtquam miſericordia ſua nos ad evangelii lumina evocaverit, voluiſſe nos tradere libidini, & arbitrio noſtro, necnon mentis noſtræ tenebris, penes nos relinquentem noſtræ ſortis imperium in electione, a qua æternitas noſtra penderet. Et ratio conſtat: neque enim Deus otioſum eſt numen, quod omnia ſorti committat; ſed univerſorum regimen ſpectandum eſt veluti opus infinitæ ſapientiæ, quæ regit omnia, quæ omnia ad ſuum finem adducit per vias, quæ naturæ eorum aptæ, & accommodatæ ſunt; & ſicuti in hominibus vitæ ſtatus quamplurimum confert ad finem, cui illos deſtinat Deus, ita eos opus eſt eodem vocari.

In omnibus ſtatibus concedit Deus peculiares gratias ut ſalutem conſequamur.

Cum ſtatibus omnibus ſua adſint peculiaria pericula, Deus omnibus propria ſuppeditat ſubſidia, ut illa evitantur. In theſauris miſericordiæ ejus non deſunt hujuſmodi gratiæ, ut quilibet ſtatus ibi peculiaria nanciſcatus auxilia, quæ ſalutem ipſorum maxime deceant. Non deſunt gratiæ ſacerdotii, magiſtratus, patrum familias, privatorum; gratiæ ſeceſſus, conjugii, cœlibatus, viduitatis, Deus nunquam nos alicui deſtinat fini, quin nobis conferat media, quibus ad eum perveniamus. Præcipiens ſingulis finem, quo illi tendant opus eſt, illius electioni adnectit ſubſidia, & neceſſarias vias, quæ illuc feliciter adducant. Sed ut in gratiæ ſtatus alicujus partem veniamus, ad illum a Domino vocandi ſumus. Si temet aliquo in gradu collocare cupis, tuum eſt ibi teipſum tueri; niſi es in via, quam deſtinavit tibi, te tibi tradit; ſolus incedes neque deducet te.

Nullus eſt vitæ ſtatus, quem inexplorata Dei volūtate liceat āplecti.

Quamcumque libertatem homini conceſſerit Deus illum, ut Scriptura inquit, relinquens in manibus conſilii ipſius, generale eſſatum eſt innixum religionis principiis, nullum eſſe vitæ ſtatum, quem homini chriſtiano liceat ingredi a Deo non vocato; nullam eſſe conditionem, cujus præcipua, atque eſſentialis regula non ſit, a Deo ad eamdem vocari; nullum gradum, nullum munus, quod periculo careat, ubi inexplorata Dei voluntate ſuſcipiatur. In hoc, S. Chryſoſtomus ait, poſitum jus eſt ſupremi imperii, quod quod ſibi reſervavit Deus in creaturam rationabilem, atque intelligendi vi præditam, & in hoc beata conſiſtit obligatio, qua creatura uti non debet libertate, & jure ſuo niſi dependenter a Deo Domino ſuo: quia nihil eſt arctis adeo vinculis cum ſalute conjunctum, quam id, quod vocationem dicimus.

Quamquam Deus vitæ, & officiorum noſtrorum ſit dominus, ac abſolute de nobis diſponere valeat, non ſemper tamen hoc imperio, & ſeveritate nos regit. Cupit ſemper voluntatem noſtram a ſua non abhorrere, noſtraque conſilia cum ipſius conſiliis conſentire pro ſtatus electione. Nos igitur eo vocat, ubi nos deſtinat; & ſi fideliter voluntatem ejus ſequimur, nobiſcum agit tanquam cum filiis, qui patrem verentur, eidemque obſequuntur, & qui nolunt emancipari, & illius jugum excutere.

Vita, moreſque ad ſtatū formandi ſunt.

Hæc veritas eſt, de qua nobis perſuaſum eſſe debet, Statum noſtrum nobis indigitare debere omnia opera bona, quibus vacare debemus, & illa, quæ ab aliis fieri debent, relinquere. Nullus enim dubitandi locus eſt, ſicuti ex altera parte neceſſe eſt opera bona fieri a nobis, ac nos orationi, jejuniis, eleemoſynis, & mortificationi indulgere; ex altera iis, quæ univerſi præſtare debemus Deo, ſingula peculiarem ordinem habere, a quo recedendum non eſt, & mandata, in quibus eſt ſubſiſtendum, quin perperam tranſitus fiat ad ea, quæ in eo ſtatu nequaquam requiruntur.

Quid faciendum cū prava facta fuerit electio.

Qui in ſtatus ſui electione ſe deerraſſe putant, ſibimet conſulere opus eſt eam, quam fecerunt, electionem emendaturi. Vel enim ſtatus eorum ſtabilis, ac permanens eſt, veluti ſacerdotium, conjugium, religio, vel liber eſt, ac ſine ullo vinculo neceſſario, quales ſunt pleræque vitæ hujus conditiones. Si liber eſt, & poſt maturam deliberationem bona fide cognoſcunt Deum illos in hoc ſtatu minime velle, illum ſtrenue relinquant, oportet; tandem enim hoc munus illi non æque pretioſum eſt ac oculus, quem tamen erui Deus jubet, ſi ſcandalum attulerit. Sin autem ſtatus eorum eſt permanens, Dei voluntas eſt illos in eodem morari; & docent Theologi, licet Deus non hæc primum de illis habuerit conſilia, ex quo tamen permiſit ut illi ſeſe æterno ſtatui implicarent, illum ſecunda voluntate ſua ratum feciſſe alterum hunc ſtatum; nec deeſſe illi gratias, quarum ope malum reparare poſſimus, & quas nobis confert, ut ſaluti noſtræ proſpicere valeamus. Hoc ſolum nobis perſuaſum eſſe debet, quod cum difficilius ſit nos ibi ſalvari, majorem a nobis afferendam eſſe fidelitatem, ut gratiis hujuſmodi reſpondeamus.

Duo mortalium genera, quibus Deus ſuā non largitur opem.

Dicere poſſumus mundum in duo mortalium genera eſſe diviſum, quorum alii ex ſe ſtatus, profeſſiones, ac miniſteria ingrediuntur, ſeque ſua manu ibi conſtituunt, Alii vero a Deo vocantur, ac ſtatum Dei juſſu amplectuntur. Attamen hoc diſcrimen nequaquam efficit, ut noviſſimi melius, quam primi proſperentur, & beatiores fiant; & ratio, quæ malum hoc hinc inde par efficit, hæc eſt, quod Deus neutris ſuam opem, validumque præbet ſubſidium, qua utrique æque indigni ſunt. Hoc primis renuit, quia ipſum non conſuluerunt, & quia propriæ tantum cupiditatis motu ſeſe eo in ſtatu conſtituerunt; neque poſterioribus illud concedit, quin reſpondeant gratiæ, qua illos dignatus fuerat, quin animum appellant acquirendis virtutibus, quas ab illis, expetebat ſtatus, ad quem vocaverat illos, prorſus alia curant negotia, & in oppoſitum tendunt.

De mutatione ſtatus, & conditionis.

Status, vel loci mutatio vulgo tanquam tentatio reſpicienda eſt. Fere ſemper Dei jugum excutere contendimus, cum recedimus a loco, vel ſitu, in quo nos illius providentia conſtituit; & quemadmodum plerique eorum, qui conditionem, locumve mutant, id agunt ex inconſtantia, vel ob rationes prorſus humanas, perraro accidit, ut hujuſmodi motus illis afferant vel requiem, vel ſolatium, quod ſe illic nacturos eſſe ſperaverunt.

PA-

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Fortuito amplectendus non eſt vitæ ſtatus, ſed antea mature deliberandū eſt.

Probatiſſimum eſt in morum diſciplina principium, eos, qui fortuito agunt, imprudenter agere; tunc etiam cum aliquid illis cedit e ſententia, aut cum aliqua ab illis bona electio fit. Ita homo ſe infra ipſam brutorum conditionem ſubmittit, quæ natura ſortis arbitrio committere noluit, & quibus inſtinctum quemdam immiſit, quem tanquam regulam aliquam ſequerentur. Homo vero ab illis diſtinguitur propter eximiam hanc facultatem, qua cognoſcit, quamnam rationem habeant media cum fine, quem ſibi proponit. Ex quo igitur homines ſe ipſos adeo neceſſario privant auxilio, atque ſeſe ſortis arbitrio committunt, patet, illos ſeſe manifeſto objicere periculo ſe ipſos fallendi; & cordatus quilibet fatebitur, probabilius eſſe illos deerraſſe, quam credibile ſit, eos in recta via incedere.... Hoc argumentum nobiſmet ipſis applicemus in negotio ſtatus vitæ, quem debemus amplecti. Omnes vitæ ſtatus viæ ſunt, quæ nos ad æternitatem adducunt; providentia noſtrum ſingulis ſtudium aperit, ubi curſum abſolvamus, & deſtinatum nobis bravium promereamur. Verum ſi tuto, ac non fortuito incedere cupimus, quin ſciamus, quo pergimus, temere ingredi non debemus in viam, quam nobis providentia non aperit. Etenim quamvis hæ omnes vitæ in cœlum adducant, quilibet ſuam habet prænotatam; neque ad omnes pertinet pervenire ad terminum per vias, quas nobis Dominus nequaquam præſcripſit. *P. Cheminais, ſermone hujus argum. Tom. 2.*

Ad vitæ ſtatum bene eligendum omnia abjicienda ſunt præjudicia.

Quid prodeſt generatim ſentire, opus eſſe, ut ſalvemur, & ſalutem pro fine, ac norma ſtatus noſtri accipiamus, atque eum ſequamur, quem aptiſſimum eſſe cenſuerimus, ut eo perveniamus? Quid prodeſt inquam hoc ſentire, ſi alioquin mens noſtra ſexcentis repleta præjudiciis ſententia hac non utitur, uti decet? Quis enim ex humanis mentibus avellere poſſet omnia erroris principia, quibus judicia earum corrumpuntur? Et ubi quis ſemel ſequatur quædam placita, quæ mundi ſapientibus arrident, quomodonam uti poteſt conſiliis, quæ ipſi traduntur, & cognitionibus, quas adeptus eſt? Qui objecta nonniſi per organum male affectum intuetur, nunquid minori in periculo ſemet decipiendi verſatur (quantumvis aliunde lumen illi ſuppetat,) quam qui hoc carent auxilio? Quærimus, dicimus ipſi, quid velit Deus, & nobiſmet perſuadere volumus, nos bona fide agere. Fortaſſe etiam aliquid peccamus, quia modicam adhibemus diligentiam, ut ad examen noſtra præjudicia vocemus; ſed falſa perſuaſio, ac præjudicium temere conceptum infinitorum errorum eſt cauſa. Ut igitur in re tanti negotii ſapienter noſmet geramus, veritatis oracula ſine præjudicio conſideranda ſunt, atque illi ſine ulla exceptione eſt obtemperandum. *Idem.*

Fallacia præjudicia, quibus nos præverti patimur erga ſtatus aliquos, & quæ prohibent, ne bona electio fiat.

Inter fideles ipſos, qui ſaluti ſuæ conſulere quærunt, non deſunt, qui de amplectendo vitæ ſtatu deliberare incipiant, religionis ſtatum excipiendo, ſic, ut ita dicam, cum providentia ſtipulatur, ut feratur conditio æquior, & naturæ magis accommoda. Alius, qui cœlibatus pacem, & libertatem cum conjugii ſervitute comparat, in reliquam vitæ ſuæ partem ſacrum hunc modum rejicit, atque inconſulto Deo illum excludit, conſilii ſui ita certus, & contentus, ut de hac re ne momento quidem hæreat. Hic conjugii amore præventus, nec conſiderat quidem, utrum hoc recipere debeat ſacramentum, quod nihilominus etiam, atque etiam eſſet conſiderandum; ſed de bonis, affinitatibus, dotibuſque illius, quam in uxorem ducturus eſt, ſerio deliberat; & ſi eo procedit, ut futuræ conjugis virtutem, ac probitatem vocet ad examen, ita ſibi complacet in re adeo a communi uſu abhorrenti, ut præcipuus electionis error negotium illi nequaquam faceſſat. Ille ſecreta ambitione tamen, cui facere ſatis non poteſt in ſæculo, non ambigit, utrum eccleſiam ingredi debeat; ſed cogitat, quem illic gradum habiturus ſit, ad quas dignitates poſſit attolli; circa vero electionem a ſe factam animum habet tranquillum. O nos cæcos, & miſeros! Speramuſne ſecretis amoris proprii conſiliis facere poſſe, ut divinæ providentiæ conſilia ad arbitrium noſtrum torqueamus? Fallimuſne Deum, an noſmet ipſos? & credimus nos æterna ſapientiæ decreta mutare poſſe, illa oculis noſtris auferentes, illa ſub ineptis prætextuum coloribus diſſimulantes, eaque in ſenſum noſtrum interpretantes? *Id.*

Vulgo mūdi, non evangelii leges ſequimur, cum de ſtatu amplectēdo ſermo eſt.

Quædam mundi leges cum de ſtatu eligendo ſermo eſt, nobis quodammodo principiorum locum habent. Ne venit quidem in mentem de illis ambigere; neque putaremus nos æque ratiocinari, niſi noſtra conſilia ineptiſſimis hujuſmodi placitis inniterentur. Opus eſt primogenitum in ſæculo domus dignitatem tueri; alterum ab hoc altarium miniſterio addici, neceſſe eſt; tertium cœlibatum profiteri in aliquo ordine militari; puellam, quibus negavit natura decus, ac ſpeciem qua aliæ commendantur, in omne vitæ ſpatium inter clauſtra eſſe ablegandam; eam vero, quæ egregiis donata eſt dotibus, in mundi lucem eſſe proferendam; idque ob eas rationes, quæ fortaſſe in dubium revocare deberent, utrum utilius eſſet alteram alterius inire conſilium. Filius tenetur togam amplecti, quia magiſtratus aliquis jampridem in familia perſtitit; alius, qui jam eccleſiaſticum ſtatum fuerat ingreſſus, ob natu majoris deceſſum arma ſequitur. Fieri profecto poteſt, ut providentia ſeſe omnibus hujuſmodi eventibus accommodet; ſed quomodocumque ſit, hujuſmodi ſtatus non ea ex parte ſpectantur, ſed quia paſſim conſuetudo illos recepit. Tu vero, Domine, itane judicas? Agnoſciſne iſtic primum illud conſilium, quod de hominis fato concepiſti? Satine intellexerunt illi altitudinem conſiliorum tuorum in hoc graviſſimo ſuæ ſalutis negotio? Nunquid infinitæ ſapientiæ tuæ conſilium ingreſſi ſunt? Hinc debent illi, & poſſunt conjicere, utrum ſe ipſos deceperint, & an in bona via eſſe perſeverent. *Idem.*

Quotuſquiſque magnum hoc incipiens ædificium, in quo in omnem permanſurus eſt æternitatem, ſupputat ea, quæ habet, bona juxta Jeſu Chriſti conſilium, ad examen revocat vires ſuas, talenta, dotes naturales, & acquiſitas, ac inde fert judicium, utrum habeat, unde opus ad finem uſque perducat? Aſcendunt homines ipſa, unde jus dicendum eſt, ſubſellia, quin ſuum captum, ſuoſque mores conſiderent. Fruſtra ſuadet Sapiens, ne judicandi provinciam aggrediamur, niſi nobis ſatis fuerit roboris, atque conſtantiæ ad tuendas partes egeni, qui a fortiori opprimitur, & ad miniſterium hoc eadem æquitate exercendum, qua ab ipſa lege exerceretur, ſi hæc per ſe ferre poſſet judicium. Invehuntur in eccleſiam male nati filii cupiditatum ſuarum, quæ magis acres, & inordinatæ ſunt, mancipia, qui nullo pietatis ſenſu afficiuntur, & qui magis mundani ſunt, quam qui in mundo vivunt. In illud munus irruimus, ubi ſeſe primum nobis offert ſpes lucri, quin bonæ fidei, & probitatis noſtræ faciamus periculum. Nonne igitur nobis credendi locus eſt eo modo, quo hodierna die vitæ ſtatus paſſim eligitur, extremum eſſe periculum, ne noſmet decipiamus? *Idem.*

Aliquando cōſanguinei, & amici conferunt aliquid, ut pravam electionem faciamus.

Perinde ac nullus nobis eſſet obex, quo bonam electionem facere prohiberemus, conſanguinei, & amici, qui nobis duces eſſe deberent in re, quæ tot periculis eſt obnoxia, illi vulgo ſunt, qui præ cæteris nos in errorem impellunt, & nonnunquam cæci ſunt duces cæcorum; at mirumne eſſe debet, ſi hos in præceps adducunt? Poſſuntne illis aliam immittere mentem, quam ipſi habeant? quam vero plerique habent, niſi humanam, omnibuſque cupiditatibus perviam? Hinc licet Tridentina Synodus tot contorſerit anathemata in eos, qui vel cogunt, vel prohibent filios ſuos religionis ſtatum amplecti, videntur paſſim, qui abutuntur timore, atque reverentia, quam natura animis eorum inſeruit, ut parentum ſalutaribus monitis illos dociles redderet. Abutuntur, inquam, ut adoleſcentibus timorem incutiant, eoſque cogant illud vitæ genus ingredi, quo a divina providentia non vocantur... Ad examen non revoco, quid in judicio Dei reſpondere poterunt, cum adeo impiæ prævaricationis nomine inſimulabuntur: non cogito, quid filii in æternum exprobraturi ſint illis, quod cauſa extiterint damnationis ipſorum, ac eum in ſtatum adduxerint, ubi ſalvi fieri vix poſſent; neque immoror illis ob oculos repræſentans omnem hujus tyrannidis enormitatem, quam exercent in eos, erga quos natura ipſis amoris dumtaxat, & benevolentiæ ſenſus immiſerat; hinc ſolum argumentor maxime arduum eſſe non errare, cum de vitæ ſtatu eligendo deliberatur, & nihil ibi facilius eſſe, quam falli. *Idem.*

Curæ illorū, qui non vocati ſtatum aliquem ingrediuntur.

Quam amaris torquentur ſtimulis hæ conſcientiæ vocationi ſuæ infideles, quæ juſto Dei judicio ſeſe horribilibus tradunt ſollicitudinibus? Ab uno ad alterum ſtatum migrant, ſingula profeſſionum genera ſcrutantur, & nulli adhærent; moroſitatem ſuam per omnes vitæ conditiones ſecum trahunt, & ubique emendicant requiem, quam ſola divinis præceptis obedientia illis poteſt elargiri. Non ita accidit illis, qui legitima vocatione ſeſe auſteriſſimis vitæ officiis implicuerunt. Verum eſt ipſos ibi crucem ſuam invenire, ſed non deeſt illis magna ſolatii cauſa, ipſæ etiam ſeveriſſimarum religionum auſteritates huic ſolidæ oblectationi

admix-